

Inhabilem eligente, eaque defecta, consistit usque ab initio electio minoris Partis, ut secernentes propriam ab impropria nominatione considerant, Piton. *Discept. Eccles.* 24. a n. 13. ad plur. seq. Rota in recent. decis. 210. n. 16. et seq. part. 9. tom. 1. coram Cerro decis. 26. n. 43. et seq. et cor. Caprar. dec. 558. num. 7.

« Idque conficitur tum a Jure, tum ab Homine. A Jure, quia eligens inhabilem sub conditione dispensationis, non videtur a principio eligere, et ideo non attrahit, et absorbet Jus minoris, sed contra ad minorem transfertur etiam Jus majoris, perinde ac si major Pars abstinuisset ab electione. Ab Homine, quia non accedente conditione, ut erat in facultate majoris Partis pœnitere electionis Inhabilis, et etiam intra terminum cumulæ electionem, Piton. *de Controv. Patron.* alleg. 2. num. 4. Carol. Anton. de Luca *de Linea legal.* part. 1. art. 24. num. 10 sic nova electione prætermissa, si major Pars intra tempus quadrimestris noluit Habilem eligere, videtur tacite abivisse in electionem Habilis jam a minori Parte nominati. Quoniam conflictus majoris Partis cum minori, a qua illa se subtraxit, solum durat, quousque impleatur conditio; non impleta vero conditione cessat, et major Pars censetur potius fictione legis cessisse Juri suo, vel nominato a minori consensum quodammodo præbuisse; Montalb. *de Jur. superven.* tom. 1. quæst. 23. n. 125. et seq. Rota in recent. decis. 136. num. 14. cum duobus seq. part. 10.

« In hunc sensum autem eo pronius Do-

SUMMARIUM.

1. Eleemosyna quid sit? — 2. Eleemosyna est opus summe meritorium, satisfactorium, et impetratorium. — 3. Datur præceptum obligans sub gravi ad dandum quandoque eleemosynam juxta rationem necessitatis alienæ, et facultatis propriæ. — 4. Unde obligatio dandi eleemosynam pendet, et metiendæ est a facultate propria, id est ex parte dantis, ut habeat bona aliqua superflua, et a necessitate aliena, id est ex parte accipientis, ut habeat veram aliquam necessitatem. — 5. Bona ex parte dantis possunt esse superflua, vel necessaria tripliciter, scilicet superflua vel necessaria vitæ, superflua vel necessaria statui, et superflua vel necessaria decentiæ status. — 6. Bona superflua, vel necessaria vitæ quæ sint. — 7. Bona superflua, vel necessaria statui quæ sint. — 8. Bona superflua, vel necessaria decentiæ status quæ sint. — 9. Necessitas ex parte accipientis consideratur tripliciter, scilicet necessitas extrema, necessitas gravis, et necessitas communis. — 10. Necessitas extrema quæ sit. — 11. Necessitas gravis quæ sit. — 12. Necessitas communis quæ sit. — 13. Homo sub mortali tenetur facere eleemosynam ex bonis superfluis vitæ (quamvis sint aliquo modo necessaria suo statui) illis pauperibus, qui laborant necessitate extrema. — 14. Hinc pauper extremam necessitatem patiens jure naturæ potest tollere sibi necessaria sufficientia ad sublevandam talem suam necessitatem a quolibet similem necessitatem non patiente, nec postea ad pinguiorem fortunam deveniens tenetur restituere quidquam. — 15. Sic etiam non tenetur restituere, qui in extrema necessitate consumpsit id quod antea acceperat commodatum, vel mutuum, vel

mini iverunt, quo certius est ex duabus devolutionibus, quarum altera fiat per consolidationem Juris majoris Partis in minori, altera per transitum ad superiorem, uti advertunt Card. de Luca *de Jurepatron.* disc. 31. num. 3. et disc. 35. num. 10. Piton. *de Controv. Patron.* alleg. 34. num. 7. et seq. et alleg. 16. num. 23. Vivian. *de Jurepatr.* lib. 12. cap. 1. n. 1. et seq., favorabiliorem esse primam, quam secundam, et quantopere vitandam hanc, tantopere adjuvandam illam putarunt, sectantes Judicium explicatum a Rota in Gerunden. Beneficii 1. Julii 1726. § *Opposito*, et 19 Aprilis 1728. § *Que quidem*, coram clar. mem. Card. Calcagnino.

« Privat equidem devolutio in vacatione illa Patronos Jure præsentandi. Odium igitur incurrit, et tamquam pœna, vel modis omnibus effugienda est, ad Text. in cap. 5. *de concess. Præbendar.* et in cap. 18. *de Elect.* in 6. Leuren. in *For. Beneficial.* part. 2. sect. 3. cap. 2. § 7. quæst. 739. Rota in Coloniën. Canonicius 16 Maii 1729. § *Quandoquidem* cor. clar. mem. Corio. vel non aliter admitti solet, nisi quando perspicue constet ei locum esse, quum in qualibet dubietate pro exclusione pœnæ devolutionis respondendum videatur, Rota in *Imolen. Cappellaniæ* 1. Aprilis 1743. § *His autem* coram bon. mem. Canillac. et 14 Aprilis 1752. § 2. coram Eminentissimo Bussio. » Hactenus Rota. Nos Additionem istam in Edit. Romana anni 1767. ad calcem tom. 3. et in Venet. anni 1772. post verbum *Examen.* per oblivionem impressam, in propria sede collocavimus.

ELEMOSYNA.

emptum nondum solutum; immo quod antea furatus fuerat. — 16. Immo homo tenetur subvenire pauperi in gravi necessitate etiam ex bonis aliquibus suo statui necessariis, sed non valde necessariis. — 17. Pauper tamen in gravi necessitate constitutus nequit licite auferre ab aliis sibi necessaria ad sublevandam talem gravem necessitatem. — 18. Homo sub mortali tenetur facere quandoque eleemosynam ex bonis simpliciter superfluis vitæ, et statui, et a fortiori ex superfluis decentiæ status illis pauperibus qui laborant solum necessitate communis. — 19. Tales autem pauperes laborantes solum necessitate communis nequeunt licite auferre ab aliis sibi necessaria ad sublevandam talem necessitatem communem. — 20. Eleemosyna est elargienda omnibus vere indigentibus, sive sint infideles, sive fideles, sive alienigenæ, sive indigenæ, et ut sit magis meritoria, debet distribui secundum ordinem Charitatis, ita ut magis indigens præferatur minus indigenti, senex juveni, nobilis ignobili, invalidus sano, dignior digno, bonus malo, et hujusmodi. — 21. In extrema, et gravi necessitate Pater est præferendus Filio, et matri, parentes præferendi sunt uxori, uxor propinquis, propinqui extraneis, et hujusmodi: in communi tamen necessitate debet quis potius prolibus, quam parentibus subvenire; et maritus in communi necessitate debet uxorem præferre parentibus et prolibus. — 22. Eleemosyna non est danda pauperibus otiosis nolentibus laborare. — 23. Eleemosyna potest denegari pauperibus forensibus, imo possunt juste a Civitate expelli, quando adest justa causa. — 24. Pauperes ficti graviter peccant, et tenentur ad restitutionem Eleemosynarum, quas se fingendo pauperes receperunt. — 25. Restitutio autem potest fieri, sive

danti sive pauperibus. — 26. Quamvis quis actu non egeat ad victum, si tamen immineat necessitas proxima, potest nunc petere, et acceptare eleemosynas. — 27. Sic etiam poterit eleemosynas petere qui Filias habet nobiles, quas commode dotare non potest, etiamsi non desint necessaria ad vitam suam, et Filiarum sustentandam. — 28. Sic pariter poterit eleemosynas petere puella, quæ non habet congruam Dotem ad sui status conditionem, quamvis habeat necessaria ad victum. — 29. Idem etiam est dicendum de Filiis habentibus sibi necessaria, qui si habeant parentes necessario alendos, et ad id non habeant, possunt petere, et suscipere eleemosynas. — 30. Idem pariter est dicendum de iis, qui habent fratres, aut sorores, quibus alimenta præbere tenentur. — 31. Religiosi Mendicantes possunt eleemosynas ostiatim petere, et eos impediendo incurrunnt excommunicationem ipso facto. — 32. Non possunt tamen quaerere extra districtus consueto, et assignatos propriis Conventibus. — 33. Et sic novissime statuit iterum Sac. Congregat. Episcoporum. et Regular. in Causa Capuccinorum cum Reformatis. — 34. Regulares vere Mendicantes non tenentur petere licentiam ab Ordinario, in cujus Diœcesi situm est eorum Monasterium. — 35. Nec tenentur Regulares vere Mendicantes ostendere Ordinariis licentiam suorum Superiorum, dum eleemosynas quaerunt in locis ubi existunt Conventus, sed solum si eas velint colligere extra ipsa. — 36. Si tamen extra Diœcesim, in qua erecti sunt Conventus, quaeritare voluerint, debent obtinere consensum ab Ordinario illius Diœcesis. — 37. Fratres Mendicantes eleemosynas quaerere nequeunt per alios, quam per sui Ordinis Religiosos, vel oblatos. — 38. Sic sine licentia in scriptis Ordinarii loci nulli quantumvis privilegiati possunt eleemosynas quaerere pro aliquo opere pio, etiamsi essent patentati, seu Commissarii Abbatia S. Antonii Viennensis. — 39. Nec talis licentia eleemosynas quaerendi potest concedi a Gubernatoribus, Judicibus, Magistratibus, vel Principibus secularibus. — 40. Contra:ernitibus, et aliis locis piis quæ hospitalitatem actu non exercent, non est regulariter danda licentia quaerendi. — 41. Ordinarii prohibere non possunt Regularibus ne quaerant ante Confraternitates, nisi probetur consuetudo in individuo. — 42. Eleemosynas et oblationes ab offerentibus recipere non est prohibendum Regularibus inter Missarum solemnias, vertendo se ad populum, et generalem confessionem pro eo faciendo, non autem eis licet ab Altari discedere, et per Ecclesiam circumire. — 43. Ex eleemosynis Missarum, nec minima pars retineri potest ratione expensarum quæ fiunt in celebratione, nisi cum Ecclesiæ alias non habent redditus quos in usus earumdem expensarum erogare licite possint, quæ portio nullatenus excedere debet valorem dictarum expensarum. — 44. Sacerdos qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, non potest eandem Missam alteri celebrandam committere, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta. Et id faciens, quam pœnam incurrat. — 45. Eleemosynæ pro Missis ce-

(1. Eleemosyna est opus, quo datur aliquid indigenti ex commiseratione propter Deum; Est in re comm. cum S. Thoma 2, 2, q. 32, art. 1. (2. Eleemosyna est opus summe meritorium, satisfactorium, et impetratorium, ut clare habetur ex pluribus Sacræ Scripturæ testimoniis, et signanter Tobia 4: *Quoniam Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patitur animam ire in tenebras.* Ibidem 12: *Quoniam Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam, et vitam æternam.* Eccles. 3: *Eleemosyna resistit peccato.* Daniel. 4: *Peccata tua Eleemosynis redime.* Lu-

lebrandis recipi non possunt ab Ecclesiis, si iisdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant nisi de consensu illorum, qui eleemosynas tribuerunt. — 46. Missæ ad satisfaciendum eleemosynis alicui Ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per externos, ubi commode possunt satisfieri per Sacerdotes ejusdem Ecclesiæ. — 47. Eleemosynas petere per Ecclesiam, dum divina celebrantur officia, prohibitum. — 48. Adducuntur aliæ confirmationes talis prohibitionis. — 49. Eleemosyna est faciendæ solum ex bonis propriis, et quorum quis liberam habet administrationem. — 50. Potest tamen fieri ex bonis alienis, quando pauper est in extrema necessitate. — 51. Non potest licite fieri eleemosyna ex bonis injustis, et obnoxii restitutioni faciendæ certæ personæ. — 52. Licet tamen fieri eleemosyna ex bonis acquisitis per opus illicitum, sed non cum injustitia. — 53. Uxor de quibus, et quando possit facere eleemosynam. — 54. Filiusfamilias de quibus, et quando possit, vel non facere eleemosynam. — 55. Servus, vel Ancilla quando possit, vel non facere eleemosynam. — 56. Religiosus quando possit, vel non facere eleemosynam. — 57. Pupillus nequit eleemosynas facere sine licentia Tutoris, nec prodigus cui a Prætoribus interdicta est administratio. — 58. Administratores, Tutores, et Curatores possunt facere illas eleemosynas, quas recte facerent Minores, si adulti essent, et possunt concedere licentiam Pupillis faciendi eleemosynas minutas. — 59. Administratores Reipublicæ possunt facere eleemosynas consuetas Hospitalibus, et aliis locis piis. — 60. Eremita petens eleemosynas pro sacello, cujus cura et custodia est ipsi demandata, potest ex ipsis licite, et honeste vivere, et reliqua expendere in servitium illius Sacelli: quod si aliqua supersint, poterit dare pauperibus tam cognatis, quam extraneis, nisi tamen tales eleemosynæ essent datæ ex speciali devotione ad tale Sacellum. — 61. Eleemosynarum distributor potest illas sibi pauperi vel suis consanguineis pauperibus appropriare. — 62. Distributio eleemosynarum, quæ colliguntur occasione alicujus Jubilæi, et aliarum oblationum, quæ fiunt in Ecclesiis, etiam Cathedralibus, spectat ad Episcopum, et non ad Canonicos. — 63. Affertur novissima dispositio Benedicti XIV, quoad facientes celebrari ab aliis Missas minori eleemosyna quam ipsi receperint, et pro se ejusdem parte retenta. — 64. Pro unaquaque Missa manuali non potest tradi eleemosyna minor uno Julio; et ab Episcopo prohiberi possunt Sacerdotes, ne quid minus recipiant. — 65. Fratres Minores de Observantia speciale habent indultum eleemosynas colligendi pro locis Terræ Sanctæ, et Ordinarii tenentur illos commendare in tota Diœcesi ad minus duobus vicibus quolibet anno. Immo Benedictus XIV statuit id faciendum ad minus quatuor vicibus quolibet anno. — 66. 71. Subnectuntur Supplementa Auctoris. — 72. 74. An jus colligendi eleemosynas per sacculum sonantem spectet ad actus Parochiales. — 75. 77. An qui quotannis certam eleemosynam erogare consuevit, compelli possit, ut et in futurum eam præstet.

cæ 3: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas similiter faciat.* Luc. 12: *Quod superest date Eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Matth. 25: *Venite, benedicti, etc. Esurivi, et dedistis mihi manducare, etc.* 1 ad Timoth. 6: *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere, et alibi sæpissime.*

(3. Datur præceptum obligans sub gravi ad dandum quandoque eleemosynam, juxta rationem necessitatis alienæ et facultatis propriæ; *Est communis*, et colligitur clare ex 4 Ecclesiastic. ubi dicitur: *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, et redde debitum tuum,*

sed debitum cadit sub stricto, et rigoroso præcepto, ergo, etc. Et de facto transgressores hujus præcepti tanquam rei gravissimi criminis damnantur ad ignem æternum. Matth. 25. *Discedite, maledicti, in ignem æternum, etc. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, etc.* Unde in cap. *Sicut* 7, dist. 47, ex verbis S. Ambrosii, sic expresse dicitur: « Neque enim minus est crimen habenti tollere, quam cum possis, et abundes, indigentibus denegare. » (4. Dicitur autem notanter « juxta rationem necessitatis alienæ, et facultatis propriæ, » quia obligatio dandi elemosynam pendet, et metienda est a facultate propria, id est ex parte dantis, ut habeat bona aliqua superflua, et a necessitate aliena, id est ex parte accipientis, ut habeat veram aliquam necessitatem.

(5. Hinc ad clariorem, et faciliorem intelligentiam, advertendum est quod bona ex parte dantis possunt esse superflua, vel necessaria tripliciter, scilicet, superflua vel necessaria vitæ, superflua vel necessaria statui, superflua vel necessaria decentiæ status. (6. Bona superflua vitæ sunt illa, sine quibus potest quis suam, familiæque suæ vitam congrue alere et conservare; et e contra bona necessaria vitæ sunt illa, quæ requiruntur necessario ad alendam et conservandam suam, familiæque suæ vitam. (7. Bona superflua statui, sunt illa, sine quibus potest quis suum, familiæque suæ statum sufficienter conservare; et e contra bona necessaria statui sunt illa, quæ requiruntur ad conservandum suum familiæque suæ statum. (8. Bona superflua decentiæ status sunt illa, sine quibus potest quis suum, familiæque suæ statum adhuc decenter et splendide conservare; et e contra bona necessaria decentiæ status sunt illa, quæ requiruntur necessario ad conservandum suum, familiæque suæ statum cum tali decentia et splendore.

(9. Sic ex parte accipientis tripliciter consideratur necessitas, scilicet, necessitas extrema, necessitas gravis, et necessitas communis. (10. Necessitas extrema est illa, quam patiuntur illi, quibus defectu cibi, potus, vestitus, aut alterius rei imminet hic et nunc vitæ, infirmitatis incurabilis, membri, aut sensus corporis amittendi periculum, aut imminet illis periculum incurrendi durissimam ipsaque morte graviorem verb. gr. Turcicam captivitatem, et hujusmodi, nisi ope congrua adjuventur. (11. Necessitas gravis est illa, propter quam imminet alicui periculum gravis mali, ut carcerationis ob debita, infamiæ, gravis jacturæ bonorum, vel status, ita ut ad se sustentandum cogatur, quamvis nobilis, alteri famulari, vel similiter laborare, aut quamvis honestus civis cogatur mendicare. (12. Necessitas communis est illa, quam patiuntur communiter pauperes triviales ostiatim mendicando.

(13. Ex istis colliges primo, quod homo sub mortali tenetur facere elemosynam ex bonis superfluis vitæ, quamvis sint aliquo modo necessaria suo statui, illis pauperibus, qui laborant necessitate extrema. *Est communis.* Et ratio est, quia quamvis bona su-

perflua vitæ sint necessaria statui, ordo tamen caritatis postulat, ut cæteris paribus gravissimum vitæ, aut quasi vitæ bonum præferamus bono proprii status longe inferiori, unde cap. *Pasce* 21, dist. 86, ex verbis divi Ambrosii dicitur: « Pasce fame morientem, quisquis enim pascendo hominem servare poteris, si non paveris, fame occidisti. » (14. Hinc pauper extremam necessitatem patientem jure naturæ potest tollere sibi necessaria sufficientia ad sublevandam talem suam necessitatem, a quolibet similem necessitatem non patiente, nec postea ad pinguiorem fortunam deveniens, tenetur restituere quidquam; accepit enim id quod ratione talis necessitatis erat jure naturæ suum. *Sic communissima omnium Doctorum.* (15. Sic etiam non tenetur restituere, qui in extrema necessitate consumpsit id, quod antea acceperat commodatum, vel mutuum, vel emptum nondum solutum, immo quod antea furatus fuerat. Sic ex communi, Lessius, et aliis citatis; Diana part. 5, tract. 8, resol. 8. Sporer tom. 1, tract. 3, in 4. Præcept. Decalog. c. 6, n. 53.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Male citatur hic Sporer, qui potius contrarium sentit; ait enim, quod si facultas et melior fortuna supervenerit, debeat id restituere, quod antea furatus fuerat, et hanc voluntatem restituendi debere semper in ipso manere, etiam dum in extrema necessitate versatur. Tom. 2, tract. 4, pag. 66. Alii quoque quamplures gravissimi Theologi, explosa Dianæ ac Tamburini talem hominem ab onere restituendi eximentium sententia, docent reipsa ad restitutionem teneri, quia delictum perpetratum contra justitiam semper remanet compensandum, licet tempore necessitatis obligatio restituendi suspendatur. Necessitas non tollit debitum, sed facit tantum, ut solutio licite differatur.

RESPONSIO AUCTORIS.

Et tamen Sporer loco a me citato, loquitur præcisus verbis ibi a me relatis. Insuper tom. 2, tract. 5, in VII et X præceptum Decalogi, cap. 5, sect. 4, postquam dixerat sub num. 101, qui rem accepit ante extremam necessitatem, sive furto, sive contractu, et dein in extrema necessitate absumpsit, ea peracta probabiliter restituere tenetur, et probata sententia, concluderat dicens: « pia ac probabilis sententia; » statim subjungit sub immediato num. 102, sed æque probabilis est opposita jam communior sententia DD. negans, rem quandocumque acceptam, sive ex delicto, sive ex contractu non transferente dominium, utpote vel furto ablatam, vel depositam, impignoratam, commodatam, locatam, etc., et postea in extrema necessitate absumptam unquam debere restitui; sic Angel. Silvester, verb. *Furtum*. Jul. Clar. Lib. 1, § Furti, Petr. Navarrus; alique cit. a Layman cap. 1, n. 7. Ratio est, quia qui rem alienam bona fide absumpsit, liberatur a restitutione secundum omnes; sed talis in dicta necessitate bona fide rem alienam, quinimmo tamquam Dominus ejus factus, absumpsit;

ergo numquam tenetur pro ea restitutione; neque enim patrocinator iniquitas, si rem antea furatus fuit, sed superveniens extrema necessitas. Hæc ille, adeoque non male citatus (1).

(16. Colliges secundo, quod homo sub mortali tenetur facere elemosynam ex bonis superfluis vitæ et statui quamvis sint aliquo modo necessaria ad decentiam, et splendorem sui status, illis pauperibus qui laborant necessitate gravi. *Est communis.* Et ratio est quia lex Christianæ caritatis, immo et humanitatis postulat, ut status splendorem aliquo modo negligamus, et quasi extremo, seu vere gravi proximi malo occurramus, cum neglectus ille, scilicet splendoris status, fere nihil sit in comparatione tanti mali passi ab inope gravi necessitate laborante. (17. Immo Laym., l. 2, tract. 3, c. 6, n. 4, cum S. Thoma, aliisque ibi citatis, et Tamb. l. 5, Decal. c. 1, § 1, et alii plures recte docent, quod homo teneatur subvenire pauperi in gravi necessitate, etiam ex bonis aliquibus suo statui necessariis, sed non valde necessariis, quia homo parvo suo incommodo tenetur magnum incommodum proximi impedire. Pauper tamen in gravi necessitate constitutus nequit licite auferre ab aliis sibi necessaria ad sublevandam talem gravem necessitatem, ut colligitur ex c. *Si quis* 3, de *Furtis*, ubi sic dicitur: « Si quis ob necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, aut pecus, poeniteat hebdomadas tres, » hæc poenitentia non imponeretur, si liceret in necessitate gravi furari, aut si necessitas illa fuisset extrema, ut notavit S. Thomas 1, 2, quæst. 66, artic. 7, ad 1, dicens: « Decretalis illa loquitur in casu, quo non erat urgens necessitas, » et modo habetur hoc definitum ab Innocentio XI, qui die 2 Martii 1679, inter alias propositiones damnavit sequentem, 35 in ordine: « Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. »

(18. Colliges tertio, quod homo sub mortali tenetur facere quandoque elemosynam ex bonis simpliciter superfluis vitæ et statui; et a fortiori ex superfluis decentiæ status, illis pauperibus, qui laborant solum necessitate communi; sic divus Thomas 2, 2, quæst. 32, art. 5. Navarr. cap. 24, num. 5. Layman

(1) Non equidem nego P. Sporer in ea, quam ipsi Auctor noster tribuit, opinione versatum esse. Cæterum ratio, quam Layman loco citato affert, ut ostendat eum, de quo loquitur, ad restitutionem non teneri, si melior fortuna supervenerit, in illum, qui rem alienam occulte acceperit, invito domino, antequam extrema necessitate laboraret, non cadit. Est namque hujusmodi: « Cum enim rem auferendo non peccaverit, non tenetur ratione injustæ acceptionis: et cum rem ablatam ob necessitatem, bona fide, imo tamquam dominus ejus factus absumpsit, non tenetur ratione rei acceptæ. » At vero qui rem alienam occulte accepit, invito domino, antequam in statum extremæ necessitatis prolaberetur, profecto peccavit. Sylvester quoque loc. cit. a Layman, nempe verb. *Furtum*, quæst. V, de illo, qui in extrema necessitate rem alienam capit, disputat. « Licet, inquit, Supp. cum Pan., ut illi imponitur a Ros. teneat, quod is, qui in extrema necessitate furatur, restituere teneatur, si venerit ad pinguiorem for-

lib. 2, tract. 3, cap. 7, n. 5. Tannerus tom. 3, disp. 2, quæst. 5, dub. 2. Richard, Bannes, Covarruvias, Valentia, Aragonius, Azorius, Filiucius, quos citat, et sequitur Sporer loc. cit. num. 60. Bellarminus lib. 2, de *bonis Operibus*, cap. 7, cum aliis ibi relatis, et alii contra plerosque modernos; et ratio est, quia cum erogatio elemosynæ de se sit ardua, nisi daretur obligatio sub gravi erogandi illam quandoque etiam pauperibus qui laborant solum necessitate communi, facile contingere posset, quod hujusmodi pauperibus nemo subveniret, et sic de communi necessitate in gravem, et de gravi in extremam adigerentur. Tum quia etiam in necessitate communi reperitur esuries, sitis, nuditas, et hujusmodi; sed ista sublevare denegantes damnantur in ignem æternum, Matthæi 25: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, etc. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere; nudus fui, et non cooperuistis me, etc.*; ergo si pro tali defectu damnantur ad tam gravem poenam, stat clarum quod talis defectus imputatur eis ad gravem culpam. Et facit pro nostra sententia propositio 12 ex damnatis ab Innocentio XI. « Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui; Et ita vix aliquis tenetur ad elemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui, » sic recte notat Viva super dicta propositione n. 10. Sporer loc. cit. n. 65. Damnatur enim ibi sententia asserens, « Vix aliquem teneri ad elemosynam ex superfluo statui; » ergo a fortiori damnata videtur sententia asserens, *teneri nunquam.* Omittuntur breviter gratia plurimi textus Sacræ Scripturæ, plurimi Sacri Canones, et plurimæ Sanctorum Patrum auctoritates clarissime sententiam nostram corroborantes et contrariam infirmantes. Quidquid igitur dixerit alii, est in praxi tenenda tamquam certissima nostra conclusio, quod nempe homo teneatur sub mortali facere quandoque elemosynam ex bonis simpliciter superfluis vitæ et statui, et a fortiori superfluis decentiæ status, illis etiam pauperibus qui laborant solum necessitate communi. (19. Tales autem pauperes laborantes solum necessitate communi, nequeunt licite auferre ab aliis sibi necessaria ad su-

tunam, habito tamen respectu, ne egeat, nihilominus verius sensit Sum. Ang. et Ros., cum Dir., quod non tenetur, maxime si res sit consumpta. » Quoniam tamen hic homini, qui in extrema necessitate rem alienam acceperit, illud tribuere videtur, ut rem eandem et si consumpta non sit, retinere possit, restituere teneatur, subicere placet, quæ habet P. Cuniliati *Tract. 4. de 1. Decal. Præcepto* cap. 8. § 7. num. 11. ubi « Notandum, inquit, quod quando extreme indigens utitur re proximi sui, si de eadem, post evasionem ab illa necessitate, aliquid supersit, vel tota etiam persistat, quippe quæ usu non consumptibilis, ut v. g. equus ad fugiendum a morte, vel a captivitate, restituenda est domino; quia necessitas illa non confert indigenti dominium in rem, sed dumtaxat in usum illius; unde si totam usu consumat, puta panes, triticum, etc., ad nihil tenetur de eo quod necessario consumpsit, quia circa illud habebat dominium usus; si vero quidquam supersit, patet quod remanet domino suo. » (EDIT. BARBIELL.)

5)levandam talem communem necessitatem, quia si hoc fuit damnatum in pauperibus laborantibus gravi necessitate, ut patet ex propositione damnata, adducta supra sub n. 18, a fortiori erit damnatum in pauperibus laborantibus solum necessitate communi.

(20. Eleemosyna est elargienda omnibus vere indigentibus, sive fideles, sive infideles sint, sive indigenæ, sive alienigenæ; et ut magis sit meritoria, debet distribui secundum ordinem Caritatis, ita ut magis indigens præferatur minus indigenti. Glossa in c. *Si quis* 10, dist. 90. Sic senex debilis debet præferri juveni, pauper nobilis ignobili, invalidus sano, dignior digno, fidelis infideli, bonus malo. *Surd. de Aliment.* tit. 1, q. 93. *Gratian. discept. c. 22*, num. 25. *Trullench. in Decalog. lib. 1, c. 5, dub. 11*, num. 2. *Valdes de Eleemosyn. 3 p. fol. 72*, vers. « si autem omnibus. » *Bellarmin. de bonis Operibus lib. 3, c. 12, litt. B.* Sic sunt præferendi indigenæ alienigenis, amici, et domestici benemeriti aliis pauperibus. (21. Si Pater et Filius sint in extrema, vel gravi necessitate, præferendus est Pater; si Mater et Pater, præferendus est Pater; Parentes præferendi sunt uxori, Uxor propinquis, propinqui extraneis, et hujusmodi. *Trullench. l. c. dub. 11, num. 2.* *Villalobos 1 part. tract. 22, difficul. 7, n. 1.* *Becamus de extern. act. Caritat. c. 21, n. 22.* *Barbosa in Repertor. posthum. verb. Eleemosyna*, et alii communiter. In communi tamen necessitate debet quis potius prolibus subvenire quam parentibus, quia proles sunt sub cura parentum, et ab illis etiam extra gravem necessitatem jure postulant alimenta, non item parentes. *Tamburin. et alii cum Diana in Compend. verb. Debitum num. 12.* *La Croix lib. 3, part. 1, num. 723.* Sic maritus in communi necessitate debet uxorem præferre parentibus, et prolibus; ita *Tamburin. et la Croix loc. cit. n. 724*, contra *Castropal. qui dicit uxorem esse quidem præferendam prolibus, sed non parentibus: et ratio nostræ opinionis est, quia vir, et uxor civiliter sunt quid unum, adeoque extra necessitatem extremam, vel gravem, ubi lex nature non dicat aliud, uxor censeri debet conjunctior, et sic in necessitate communi debet præferri; et ad hoc alluditur *Genes. 2, vers. 24*, ibi: *Propter hoc relinquet homo Patrem, et Matrem, et adhærebit uxori suæ. Vide verb. Filius, et verb. Necessitas.**

(22. Eleemosyna non est danda otiosis pauperibus nolentibus laborare, quia ultra quam quod isti sunt fures eleemosynarum aliis vere indigentibus debitarum, id esset eorum ruinam, et vitia alere, quia ex otio ad maxima vitia prolabantur; ut enim dicitur *Ecclesiastici 33: Multam malitiam docuit otiositas*, et ut scripsit *Seneca epistol. 86.* « Otium est sentina omnium malorum, noverca virtutum, et cujusvis hominis sepultura, » et istis otiosis, qui ex acceptis eleemosynis nutriunt vitia, videtur eleemosynam fieri prohibere *Ecclesiast. cap. 12, ibi: Da bono, et non receperis peccatorem. Benefac humili,*

et non dederis impio. Prohibe panes illi dare. *Vasquez. de Eleemosyna c. 3. dub. 1.* *Turrian. disp. 85, dub. 1.* *Trullench. loc. cit. cap. 5, dub. 10, n. 8.* *Amostraz de Causis piis tom. 2, lib. 7, cap. 12, n. 10*, et alii passim. (23. Eleemosyna potest denegari pauperibus forensibus, immo possunt juste a Civitate expelli, quando adest justa causa, ut si Civitas fame laboret, nec possit simul forensibus, seu alienigenis, et domesticis, seu indigenis subvenire, vel si forenses pauperes morbos afferant, aut quando in otio putrescunt, unde ad vitia perveniunt, et hujusmodi; tunc enim recte expelluntur. *Layman lib. 2, tr. 3, c. 6, num. 3.* *Valdes de Eleemosyn., 3 part. fol. 80*, vers. quarto quæritur. *Trullench. loc. cit. dub. 10, n. 8.* *Diana p. 5, tract. 8, resol. 36.* *Bonacina de Caritate disp. 3, q. 4, punct. 6, proposit. 3, n. 19.* *Amostraz. loc. cit. c. 32* et alii passim, et ad hoc facit *Concil. Turonens. II, cap. 4*, ubi statutum est, ut quælibet Civitas, aut Oppidum suos aliat pauperes, et ad id Presbyteri et Laici concurrant.

(24. Pauperes ficti graviter peccant, et tenentur ad restitutionem eleemosynarum, quas se fingendo pauperes receperunt, et ratio est, quia sic injuste auferunt eleemosynas aliis pauperibus, vere indigentibus, et per dolum, et deceptionem extorquent pecuniam ab iis, qui seclusa deceptione, nullo modo darent eis ejusmodi eleemosynas; Causa enim finalis eleemosynæ, est pauperi succurrere ad sublevandam ejus necessitatem, quæ si non adsit, quia pauper est fictus, donatio illa non sustinetur, adeoque suscipiens ad restitutionem tenetur. *Vasquez de Eleemosyna cap. 3. dub. ult.* *Villalobos 1 part. tract. 22, difficul. 9, num. 2.* *Navarrus in Manual. cap. 17, n. 107.* *Navarra de Restitut. lib. 3, cap. 1, a n. 267.* *De Lugo tom. 7, lib. 6, dub. 17.* *Trullench. loc. cit. dub. 10, num. 9.* *Tapia de Caritat. lib. 3, quæst. 4, art. 8.* *Palao tom. 1, punct. 14, num. 5.* et alii passim. (25. Restitutio autem fieri potest sive danti, sive pauperibus. *Vasquez loc. cit. dub. ult. num. 24.* *Diana part. 5, tract. 8, resol. 22.* *Palao loc. cit. punct. 14, n. 7.* *Petschacher de Restit. p. 613.* *Tamb. et alii.* (26. Quamvis autem quis actu non egeat ad victum, si tamen imminet necessitas proxima, potest nunc petere, et acceptare eleemosynas, quia quod de proximo expectatur, præsens censetur, l. 2. *C. De transactione*, ubi *Barbosa n. 5.* et alii. *De Lugo l. cit. dub. 17, n. 4.* *Amostraz loc. cit. n. 29.* *Diana part. 2, tract. 1, resol. 8* et alii passim. (27. Sic etiam poterit eleemosynas petere, qui Filias habet nubiles quas commode dotare non potest, etiamsi non desiat necessaria ad vitam suam, et Filiarum sustentandam. *Mandell. cons. 69, num. 7.* *Vivius decis. 454, n. 5.* *Diana part. 2, tract. 1, resol. 6.* *De Lugo tom. 7, in Respons. moral. cit. c. 17, n. 5.* *Amostraz loc. cit. n. 29.* (28. Sic pariter poterit eleemosynas petere puella, quæ non habet congruam dotem ad sui status conditionem; quamvis habeat necessaria ad victum; sic cum *Bartol. et aliis tra-*

dit *Velasco de Privileg. pauper. 1. part. q. 4. n. 43.* *Amostraz. loc. cit. n. 29.* (29. Idem est dicendum de Filiis habentibus sibi necessaria, qui si habeant Parentes necessario alendos, et ad id non habeant, possunt petere, et suscipere eleemosynas. *De Lugo loc. cit. in Respons. moral. dub. 19, num. 5.* *Amostraz. loc. cit. n. 30.* *Diana, et alii.* (30. Idem pariter est dicendum de iis, qui habent Fratres aut Sorores, quibus alimenta præbere tenentur. *De Lugo loc. cit. num. 5.* *Amostraz. loc. cit. n. 30.* *Velasco loc. c. q. 4, num. 50.* et alii.

(31. Religiosi Mendicantes possunt eleemosynas ostiatim quærere; nec prohiberi possunt fideles ne eas ipsis conferant, textu expresso in cap. *Nimis prava 17. de Excessib. prælat.* Unde si aliqui Ordinarios, vel alii impediunt per vim, vel dolum, aut consultant, ne eleemosynæ dentur Regularibus Mendicantibus, tunc ipso facto excommunicationem incurrunt, ut ex Bullis ostendit *la Croix de statu Religios. lib. 1, cap. 7, conclus. 2.* *Trullench. loc. cit. cap. 5, dub. 8, num. 22.* *Casarub. in comp. Privileg. verb. Eleemosyna num. 7, 8, 9 et 13.* et signanter hoc statuit *Sixtus IV. Constitution. incipiente Sacri (1).* (32. Non possunt tamen quæsturare extra districtus consuetos, et assignatos propriis Conventibus, ut censuit *Sacra Congreg. Episcop. et Regul. 22 Junii 1674.* dum partibus auditis, « declaravit, et decrevit ne in posterum præfatorum Ordinum Conventus (scilicet Observ. et Cappucin. in Regno Corsicæ) proprios sui districtus ad quæstuandum egrediantur, sed inter suos limites se quisque contineat, ut ab his quibus serviunt sustentari facilius possint; Nec non, ut ubi plures inveniuntur Conventus in eodem districtu, inter eosdem ratio antiquitatis, ac foundationis rationabiliter habeatur, sicque omnino observari mandavit. » (33. Et quod non possint quæsturare Cappucini in locis in quibus id faciunt Patres Reformati, statuit novissime, auditis partibus, *Sac. Congreg. Episc. in Vintimilien. quæstuationis 2. Augusti 1715.* *Ponent. Cardinal. S. Clementis, et 16 Septemb. 1718.* *Pon. Cardinal. Corsino, ut ad longum variis notatis, et discussis refert Ursaya tom. 1, part. 2, disceptat. 9. et tom. 3, part. 1, disceptat. 17.* et jam emanaverat prohibitio quæstuandi per quatuor milliaria prope Conventus Mendicantes anteriores; ead. *Sacra Congreg. 15. Novembris 1647.*

(34. Regulares vere Mendicantes non tenentur petere licentiam ab Ordinario, in cuius Diœcesi situm est ipsorum Monasterium, cum eis in erectione concessa tacite videatur, et concessit *Leo X. Fratribus Minoribus in sua Constitutione quæ refertur in Compend. privileg. Mendicantium, verb. Eleemosyna n. 13.* Unde *Sacra Congregat. Episcop. et Regul. 6 Octob. 1597.* ita rescripsit

(1) Vide Addit. ad Verb. Quæsturare, Quæstuarium num. 29, et Responsum Auctoris, ibid. num. 50.

(2) Huc pertinet Decretum S. Congreg. an. 1586. die 10 Octobris editum, *Bullarii Ord. Prædic. Tom.*

*Episcopo Casalensi: « Non tenentur Regulares, qui ex institutione, aut facultate Sedis Apostolicæ eleemosynas quærere, aut mendicare possunt, petere ab Ordinariis licentiam Eleemosynas per Diœcesim quærendi, cum in erectione Monasteriorum hæc licentia eis tacite ab Ordinariis impertita censeatur. » Et eadem *Sacra Congr. 2 Augusti 1594.* ita rescripsit *Collectori Portugaliæ: « I Vescovi per la licenza di cercar la limosina non devono aver cosa alcuna, ancorchè menoma, e così i loro Officiali. I Mendicanti non han bisogno di simil licenza, la quale si presume data loro per sempre, quando fu loro permesso che avessero Monastero nella diocesi. »* Id ipsum declaravit eadem *Sacra Congregatio in Ostunen., 15 Februarii 1577.* in *Papiensi 22 Augusti 1581.* et *3 Decembr. 1602.* in una *Observantium 17 Novembris 1620.* in una *Capuccinorum 5 Octob. 1646.* et in alia *Observantium 21 Maii 1640.* et sic alibi sæpissime (2).*

(35. Nec tenentur Regulares vere Mendicantes ostendere Ordinariis licentiam suorum Superiorum, dum eleemosynas quærunt in locis ubi existunt Conventus; sed solum si eas velint colligere extra ipsa; sic declarasse *Sacram Congregationem Concilii* refert *Piasecius, in Praxi Episcop. part. 2, cap. 3, art. 6, n. 50*, his verbis: « An ut quæstores arceantur, possint Ordinarii facultatum a Superioribus Regularium Eleemosynæ quærendæ concessarum, aliquam cognitionem, et qualem habere? Congregatio censuit ex Concilio non prohiberi Regulares quominus eleemosynas quærant, non tamen alios eorum nomine, et auctoritate quoquomodo posse quærere; illos tamen extra locum, ubi sita sunt Monasteria, eleemosynas per eandem Diœcesim corrogantes, teneri ad ostendendam Ordinario licentiam suorum Superiorum. » Consimilem declarationem ejusdem *Sacra Congregationis* de anno 1621, referunt *Sperell. dec. 38, num. 27,* et *Lantusca: verb. Eleemosyna num. 1* tenoris sequentis: « *Sacra Congregatio Cardinal. Concilii Trid. Interpretum censuit, Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per se ipsos in Diœcesibus, ubi habent Conventus, eleemosynas quærant; sed tantum si extra loca, ubi Monasteria existunt, quærere voluerint, teneri Superiorum licentiam Ordinario ostendere. »* (36. Si tamen extra Diœcesim, in qua erecti sunt Conventus, quærere voluerint, debent obtinere consensum ab Ordinario illius Diœcesis, ut declarasse *Sacram Congregationem Concilii* referunt *Fagnan. in capite Tuarum 11, de Privileg. num. 3,* et *Pignatell. tom. 8, consult. 12, num. 19*, his verbis: *Sacra, etc.* « censuit Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per se ipsos in Diœcesibus, ubi habent Conventus, eleemosynas

7. pag. 205. seq. in quo hæc habentur: « Secundo. Fratres Mendicantes nullatenus a quæstuatione, quæ de licentia suorum Superiorum fit, et in dies veri continget, prohibeantur. »